

⚔ )o( ⚔  
STUDIOSIS

ΦΙΑΕΒΡΑΙΟΙΣ

*Discipulis meis S.*

**E**N vobis Epistolas Hebræas quatuor, ad exercitium lectionis sine punctis: quarum unam accepi, reliquas scripsi, hujusmodi occasione. Duobus Studiosis Hungaris, Amstelodamum euntibus, in mandatis dederam, ut mihi emerent aliquot Exemplaria Catechismi Judaici, quibus in Collegio Rabbinico uterer. Illi adierunt istic Judæum quendam, effeceruntque, ut ad me libellos istos mitteret, additis literis Belgicis, quibus poposcit pretium. Huic, utpote Judæo, Hebraicè respondi, finiens voto conversionis Judæorum. Rescripsit ipse sermone eodem, & sub extremum adscripsit vaticinium aliquod Propheticum, unde rebatur, Christianos se se difficulter expedituros. Provocatum igitur me credidi, ut & istud, & alia dicta Veteris Instrumenti adhiberem, adventum Messiaë pridem præteriisse, sic demonstraturus. Quum verò conticesceret ad meam redargutionem, submisi aliam Epistolam, argumenti ejusdem, quâ concertatio ista fuit terminata. Hinc autem si quisquam Vestram commodum aliquod fuerit consecutus, aut ad similia exercitia excitatus, erit, quod illi gratuler, mihi gaudeam. Valete.

Bb 5

EPI-